Has prædictas Ecclesias, et Monasteria cum omnibus pertinentibus terris, cellis, hominibus, vel omnibus quæ dici vel nominari possunt, et quæ nunc possidere videntur, vel in futurum possidere contingerit. eidem Ven: Monasterio, et prædictis Christi famulis præsentibus, omnibusque futuris post eos perpetuis donamus, et concedimus temporibus.

Denique ex interventu Fidelium nostrorum, pro remedio animæ nostræ et nostrorum stabilitate Locorum, pro stipendio servorum Dei concedimus et inclitum Uvaldum, quem habemus in partis Liburiæ Loco qui dicitur Pantanu; per hos fines: prima parte est via antiqua quæ de Ducenta venit, et sicut descendit via ipsa, et intrat in ipsum Pantanum, et Silvam, et Paludem conjuncta Laneo: à secunda parte via antiqua quæ dicitur Vicana: à 3.º verò iterum usque ad viam quæ est antiqua cum ipsa Piscina, et quomodo decernit ipsa via terras, et Uvaldum, et terram quæ dicitur de Sortora, et terras aliorum hominum qui ibi affines sunt: et sicut incipit super ipsam Piscinam, et qualiter revolvit circa ipsam terram de eodem Uvaldo: et jam d.m terram quæ dicitur de Sortora, et vadit ad ipsum Pantanum: et qualiter exit super ipsum Pantanum, et Silvam, et Paludem usque in ipsum frigidum: à 4.º autem parte usque in jam dictum frigidum, et prædictum Laneum, cum omnibus introhabentibus, subter, vel supra, quæ dici, vel nominari possint. Ut autem hæc omnia quæ supra diximus sub jure hujus Sacri Monasterij, et vestra vestrorumque servorum potestate perpetuis maneant temporibus, neque aliquam ab aliqua persona sustineat quæstionem, statuimus et confirmamus.

Post roboratum igitur et confirmatum suæ donationis præceptum, ipse jam dictus gloriosus Dux gratiarum Domino referens actiones S.m Patrum, et omnium Fratrum nimium, nimiumque cum suis omnibus se commendans orationibus, gaudens, et exultans Beneventum reversus est.

In tantum autem Omnipotens Deus illos magnificavit, ut undique fama illorum sanctitatis excrescens, perveniret ad aures piissimi Imperatoris Caroli. Scilicet qualiter Patriam, Parentes, et mundi gloriam relinquentes, locum hunc pro Dei omnipotentis amore petierunt, et quomodò pro multarum salute animarum hoc Cœnobium ædificare cœperunt. Sed Imperator scire certius cupiens, utrum hæc illorum fama vera esset, utpote qui bellorum triumphis gloriosus, et divinæ religionis exequutor ferventissimus, Christi quoque servis his temporibus amicissimus erat adjutor. Apocrisarium suum sibi admodum carissimum illuc dirigere curavit, quem cuncta sagaciter perscrutari præcepit,

et sibi